

supra intelligitur sibi vindicare non valent; hodie placet auctoribus ea ad distinctionem Festorum propriorum particularia vocare.

NOTA. Ubi in Rubricis, et in Decretis S. Rituum Congregationis (ex. gr., in Rubricis generalibus, Tit. X.n. 6; et in Decreto 21 Novembris 1893, n. 3811, ad I) dicitur quod, cæteris paribus de Festo magis proprio fit præ minus proprio, seu quod Festum magis proprium præfertur Festo minus proprio, etiam in sensu quod Festum propius tangens Ecclesias particulares vel personas loci, cæteris paribus, præfertur Festo Ecclesiæ generalis seu universalis, animadvertendum tamen est quod non semper Festum proprium et particulare prævalere debet Festo generali.

Etenim in Nota I ad Q. 105 indicantur quædam Festa duplicia 1 classis universalialia (nn. 1 ad 20), quæ nulli umquam Festo proprio etiam solemnissimo locum cedunt, etiam cæteris paribus: dedecet enim in particularibus locis diversum colere objectum, illis diebus quibus universa Ecclesia quasi uno ore et corde suas præcipuas solemnitates concelebrat. — Supponitur, ex. gr., Festum Ascensionis occurrere aliquo anno in die eadem qua in particulari Ecclesia celebratur Anniversarium Dedicationis: utrumque Festum est ejusdem ritus duplicis 1 classis, utrumque est ejusdem qualitatis, nempe primarium, utrumque est ejusdem dignitatis, nempe Festum Domini; imo Festum Dedicationis est fixum, de quo fieri deberet præ mobili quale est Ascensionis; Festum Dedicationis est magis proprium de quo fieri deberet præ minus proprio seu generali Ascensionis; et tamen stat Festum Ascensionis præ Festo Dedicationis, quia Festum Ascensionis unum de viginti indicatis est, quæ tamquam universalialia ita proxime tangunt omnes Christi fideles, ut sint ipsa propria totius Ecclesiæ, et ubique solemnissima.

(Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 98, et pag. 664-669.)

Q. 114. Quid intelligitur per « Festa præceptiva », et « Festa indulgentiva »?

Festa præceptiva ea sunt quæ a Rubricis recondenda

præscribuntur, qualia sunt Festa generalialia in Calendario Ecclesiæ universalis inscripta, et Festa propria, seu localialia Dedicationis Ecclesiæ propriæ, Tituli Ecclesiæ, et Patroni loci.

Festa indulgentiva ea sunt quæ non ex Rubricarum præscripto, sed ex peculiari concessione recoluntur, quamvis ejusmodi Festa, semel concessa, de facto sint ex præcepto celebranda, qualia sunt Festa Nationis, aut Diocesis, aut etiam particularialia, de quibus in Quæstione præcedenti dictum fuit.

Aliquando Indultum respicit tantum ritum aut classem, quibuscum aliquod Festum præceptivum celebratur; ita, ex. gr., Festum præceptivum Patrocinii S. Joseph, in Dominica III post Pascha in universali Ecclesia celebratum ritu duplici 2 classis, ex Indulto celebratur in Diocesi Mechliniensi ritu duplici 1 classis. (Indultum 26 Novembris 1847.) Item Festum S. Francisci Borgia, Confessoris, 10 Octobris, semiduplex in Calendario Ecclesiæ universalis, apud nos celebratur indulgentive ritu duplici 2 classis.

NOTA. In Decretis S. Rituum Congregationis sæpius agitur de Festis quæ vocantur de præcepto. Etiam in expositione Rubricarum Breviarum stricte de eis non sit agendum, ut tamen termini jam habeatur notio, et ne confusioni detur locus, juvat hic addere hoc nomine vocari omnia Festa quæ vi præcepti Constitutionis Urbani VIII, anni 1642, et Epistolæ Encyclicæ Pii IX, 3 Maji 1858, recondenda sunt auditione Missæ, et abstinentia ab operibus servilibus: licet vero utraque hæc obligatio postea a Summis Pontificibus pro quibusdam ex his Festis abrogata fuerit, nihil umquam fuit innovatum quoad Officiorum ordinem et ritum; sub quo respectu abrogata Festa eodem modo celebrantur ac si de præcepto remansissent. Hæc Festa de præcepto recensentur in Statutis diocesanis, n° 80. Hæc sufficiant de eis hic loci dicta; plura de eis exponuntur in Tractatu de Rubricis Missalis, Q. 11.

Q. 115. Quid intelligitur per Festa, seu Officia « ad libitum », et quænam sunt præcipuæ hujusmodi Officiorum leges?

R. Festa ad libitum vocantur ea quæ, ad distinctionem illorum quorum celebratio in præcepto est posita, in quibusdam casibus ad libitum celebrari, eorumque Officia recitari possunt, vel omitti, ut aliud Officium recitetur. Attamen si jussu Episcopi Ordinarii appo-



nuntur in Calendario diœcesano seu Directorio, ad eorum celebrationem tenentur quicumque hoc Directorio uti debent.

Quæstio hic non est de Officiis Votivis per Decretum 5 Julii 1883 (n. 5879) indultis pro diebus liberis per hebdomadam, loco Officiorum Ferialium; de his dicitur postea Q. 151. — Agitur de quibusdam Sanctorum Festis, quæ gradus et conditionis inferioris sunt quam Festa præceptiva et indultiva, seu facultativa. Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XII, 1898, pag. 622 et sqq.

In Calendario Ecclesiæ universæ tamquam Festa semiduplicia ad libitum signantur duo Festa: 1° S. Canuti, Regis et Martyris, 19 Januarii; 2° S. Remigii, Episcopi et Confessoris, 1 Octobris, quod Festum tamen inscribitur « Semiduplex ad libitum vel Simplex de præcepto », et in Calendario particulari Archidiœcesis Mechliniensis hoc Festum est duplex (de præcepto); insuper 3° in eodem Calendario Mechliniensi inscribitur tamquam semiduplex ad libitum Festum S. Juliani, Episcopi et Confessoris, 28 Januarii, celebrandum in toto dominio Regis Catholici Hispaniarum.

Pro duobus itaque quæ a nobis celebranda sunt Festis semiduplicibus ad libitum, S. Canuti nempe et S. Juliani, sint sequentes præcipuæ leges observandæ:

1. Casu quo in eorum die propria accidentaliter occurrat Festum aliquod quod prævalet, vel Dominica, omnino omittuntur, et de illis nequidem fit commemoratio.

2. In iis locis ubi 19 vel 28 Januarii sunt dies infra Octavam aliquam, ex. gr., in locis quorum S. Hilarius (14 Januarii), vel S. Antonius (17 Januarii) sunt Patroni, vel ubi Conversio S. Pauli Apostoli (25 Januarii) celebratur tamquam Titulus Ecclesiæ, et in aliis similibus casibus; Festa semiduplicia ad libitum omnino omittuntur, et perpetuo quidem; et dicitur his diebus Officium de die infra Octavam Sancti Patroni vel Titularis; neque ipsa ad aliam diem assignari possunt. (Decret. S. Rituum Congregationis, 20 Junii 1899, n. 4037, ad 1.)

3. Si dies 19 vel 28 Januarii est Sabbatum, aut alia antecedens hebdomadæ dies, in qua reponendum foret Officium Dominicæ anticipandæ (cfr. infra Q. 124), ce-

det Officio Dominicæ locum Officium Festi semiduplicis ad libitum, et omittetur. (Decreta S. Rituum Congregationis, 4 Aprilis 1705, n. 2152, antiq. 3718, ad 5; 29 Maji 1885, n. 3636, antiq. 5941, ad 1; 5 Februarii 1895, n. 3844, ad 1.) — Retentum quidem fuit in nova editione Collectionis Decretorum Decretum 20 Septembris 1681 (n. 1680, antiq. 2966), quo S. Congregatio respondit Festum S. Canuti celebrari posse, etiam quando in hebdomada anticipanda sit Dominica III post Epiphaniam; sed in Indice Decretorum notatur hoc Decretum esse emendatum aliis Decretis supra indicatis. Peti posset quare Decretum non fuerit expunctum e nova editione anni 1901.

### 3. De Dominicis

Q. 116. *Explica originem celebrationis diei Dominicæ, et expone quomodo ejus celebratio successivis temporibus fuit observata.*

R. I. Dies hebdomadæ quæ præ cæteris celebratur a Christianis est dies **Dominica**. Judæi sanctificabant diem hebdomadæ septimam (Sabbatum), quia ea die Dominus requievit, id est, a creandis novis speciebus cessavit. Relicto autem Sabbato Judæorum, Christiani mox celebrarunt Resurrectionem Domini die Sabbatum immediate sequente, octava scilicet, seu potius, prima hebdomadæ, eamque Dominicam appellarunt, ut divino cultui præcipue sacram, necnon multis præcipuisque mysteriis in ea peractis celebrem.

Jam in Scriptura dies hæc tamquam solemnis designatur. Etenim « una autem sabbati », id est, prima hebdomadæ die, conveniebant « ad frangendum panem. » (Act. Cap. XX. §. 7.) — « Per unam sabbati » jubet S. Paulus ut unusquisque eleemosynas « apud se seponat, recondens quod ei bene placuerit. » (I Cor. Cap. XVI, §. 2.) Ex his patet, Christianos jam a tempore Apostolorum in die primo hebdomadæ convenisse ad celebrationem Missæ et ad colligendas eleemosynas.

II. Antiquissimi scriptores ecclesiastici memorant tum relictum judaicum Sabbatum, celebratumque die Solis Resurrectionis Dominicæ memoriam, tum hujus



diei gaudium, in qua nec umquam jejunabant, nec genuflectentes orabant Christiani. Tertullianus scribit, die Dominica esse cavendum ab officiis et negotiis. (De Oratione. Cap. XXIII.) Sæculo autem quarto sanctificatio hujus diei proponitur tamquam præceptum, et successivis temporibus a Conciliis necnon et ab Imperatoribus prohibebantur negotia publica, judicia, nuptiæ, commercia, spectacula, venationes, itinera. Missæ solemniter parochiali tenebantur omnes interesse; tantumque a sæculo XIII licuit, stante impedimento, præcepto Missæ satisfacere per assistentiam Missæ privatæ.

Primitus id privilegii sibi vindicabat Dominica quæcumque, ut ea die semper Dominicæ Officium recitaretur, nec ulla umquam Festivitas, nisi celebrior aliquando occurreret Domini, celebraretur. Sæculo XVI introducta fuit distinctio Dominicarum in majores et minores de quibus agitur in sequentibus.

Q. 117. *Da ordinem Dominicarum totius anni ecclesiastici.*

R. Dominicæ totius anni ecclesiastici quinquaginta tres sequenti ordine disponuntur :

AD CYCLUM NATIVITATIS DOMINI (cfr. Q. 85) referuntur sequentes duodecim :

Dominica I Adventus.

Dominicæ II, III, IV Adventus.

Dominica infra Octavam Nativitatis Domini (sæpe vacans).

Dominica inter 1 et 6 Januarii (vacans semper).

Dominica infra Octavam Epiphaniæ, 1 post Epiphaniam (vacans interdum).

Dominica II post Epiphaniam.

Dominicæ III, IV, V, VI post Epiphaniam (vagæ).

AD CYCLUM PASCHATIS referuntur sexdecim sequentes :

Dominica in Septuagesima.

Dominica in Sexagesima.

Dominica in Quinquagesima.

Dominica I in Quadragesima.

Dominicæ II, III, IV in Quadragesima.

Dominica de Passione.

Dominica in Palmis.

Dominica Resurrectionis D. N. J. C.

Dominica in Albis, in Octava Paschæ.

Dominicæ II, III, IV, V post Pascha.

Dominica infra Octavam Ascensionis.

AD CYCLUM PENTECOSTES referuntur sequentes viginti quinque :

Dominica Pentecostes.

Dominica SS. Trinitatis, I post Pentecosten.

Dominica infra Octavam SS. Corporis Christi, II post Pentecosten.

Dominica III et sequentes usque ad XXIV post Pentecosten.

Ex his, Dominicæ post Epiphaniam et Dominicæ post Pentecosten referuntur ad commemorationem doctrinæ Domini nostri, reliquæ vero ad commemorationem vitæ Domini nostri.

Q. 118. *Cujus ritus est Officium de Dominica?*

R. Officium Dominicarum omnium fit semiduplex, excepto Officio Dominicæ in Albis, quod est ritus duplicis. Excipiuntur etiam, ut patet, Officia Dominicarum quæ simul sunt Festa, scilicet : Paschatis et Pentecostes, quæ sunt ritus duplicis et Festa 1 classis.

Q. 119. *Quæ est Dominicarum distinctio? Explica.*

R. Dominicæ sunt vel **majores**, in quibus recoluntur præcipua creationis et redemptionis mysteria, et populus Christianus spirituali quodam apparatu disponitur ad celebrandas solemniores Festivitates; — vel **minores**, quæ etiam vocantur **communes** vel **per annum**.

Dominicæ majores sunt vel **primæ** vel **secundæ** classis.

Dominicæ majores **primæ** classis adeo sunt privilegiatæ, ut earum Officium integrum nunquam omittatur, quocumque adveniente Festo etiam duplici 1 classis. Sunt sequentes octo numero :

Dominica I Adventus.

Dominica I in Quadragesima.

Dominica Passionis.

S. LITURG. TRACT. DE OFF. DIV.



Dominica in Palmis.  
 Dominica Paschatis.  
 Dominica in Albis.  
 Dominica Pentecostes.  
 Dominica SS. Trinitatis.

Exemplum : Si Festum S. Joseph, duplex 1 classis, 19 Martii, occurrat in Dominica Passionis, locum cedet Officium S. Joseph, et 19 Martii fiet Officium Dominicæ Passionis.

NOTA. Multum disputant auctores de origine et ratione Dominicæ SS. Trinitatis, quæ recensetur inter Dominicas majores primæ classis.

Rubricæ ipsam signant modo ut Dominicam Trinitatis, modo ut Festum SS. Trinitatis : dicitur Festum Trinitatis quia ad instar Festi se habet ; dicitur Dominica Trinitatis quia ejus Officium non est nisi Officium Dominicæ solemniori ritu ea die celebratum, seu subrogatum Officio psalteriali ipsius Dominicæ, cujus tamen commemoratio in Breviario et Missali remansit, ne illius memoria penitus periret.

Rubrica etiam ponit Dominicam Trinitatis inter Dominicas majores primæ classis, quia, etiamsi ejus jura non omnino eadem jam sint quam reliquarum Dominicarum hujusmodi, habet tamen cum istis quod numquam omittitur in occurrence ; inscribit autem Festum SS. Trinitatis inter Festa duplicia secundæ classis, quia ratione Festi habet ea tantum quæ sunt propria Festorum duplicium hujus classis.

Festum SS. Trinitatis in Romana Ecclesia celebrari cœpit sæculo XIV ineunte.

(Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVII, 1903, pag. 163-171 ; et XVI, 1902, pag. 577 et sqq.)

Dominicæ majores secundæ classis minus sunt privilegiatæ, et locum cedunt Festo duplici 1 classis tantum ; in eo casu de Dominica taliter impedita fit Commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus, et pro nona lectione in Matutino Festi legitur Lectio de Homilia in Evangelium Dominicæ.

Sunt sequentes novem numero :

Dominicæ II, III, IV Adventus.  
 Dominica in Septuagesima.  
 Dominica in Sexagesima.  
 Dominica in Quinquagesima.  
 Dominicæ II, III, IV in Quadragesima.

Exemplum : Si Festum S. Joseph, duplex 1 classis, 19 Martii, occurrat in Dominica IV in Quadragesima, celebrabitur hac

die Festum S. Joseph, et in ejus Officio fiet de Dominica Commemoratio in primis Vesperis, in Matutino legetur pro nona lectione Lectio de Homilia Dominicæ, fietque Commemoratio in Laudibus et secundis Vesperis. Idem resolve, si 8 Decembris Festum Immaculatæ Conceptionis B. M. V., duplex 1 classis, occurrat in Dominica II Adventus.

E contra, si 2 Februarii Festum Purificationis B. M. V., duplex 2 classis, occurrat in Dominica in Septuagesima ; aut si 24 Februarii Festum S. Mathiæ Apostoli, duplex 2 classis, occurrat in Dominica in Sexagesima ; aut si 21 Decembris Festum S. Thomæ Apostoli, duplex 2 classis, occurrat in Dominica IV Adventus, locum cedent hæc Officia Festorum duplicium 2 classis, et fiet in his diebus Officium de respectivis Dominicis 2 classis.

Dominicæ minores sunt cæteræ omnes Dominicæ per annum ; istæ Festis duplicibus etiam minoribus (non autem Festis inferioris ritus) locum cedunt ; et tunc in Officio Festi fit Commemoratio de Dominica in utrisque Vesperis et Laudibus, et legitur pro nona lectione in Matutino Festi Lectio de Homilia in Evangelium Dominicæ.

Q. 120. *Indica duplex speciale privilegium Officii Dominicæ.*

R. Officium Dominicæ, eo quod hæc Domini sit dies, omnino venerabile censetur ab Ecclesia, unde duplex ipsi tribuitur privilegium, nempe quod numquam ad aliam diem transfertur, et quod numquam in totum omittitur.

De Festis jam ad Quæstionem 110 indicatum verbulo fuit, et postea latius explicabitur, quod in casu impedimenti propter Officium aliquod solemnius aut dignius, aliquando eorum Officium ad aliam diem transfertur, aliquando Festum per Commemorationem tantum recolitur, aliquando omnino omittitur. Privilegium hoc Officii Dominicæ est, quod in casu occurrentis impedimenti numquam in totum omittatur, sed in ipsa die Dominica semper per Commemorationem de ipso fiat.

Exemplum : Dominica post Octavam Omnium Sanctorum celebratur in Archidiocesi Mechliniensi Festum Anniversarii Dedicacionis Ecclesiarum, duplex 1 classis ; si hæc dies occurrat 11 Novembris, indicatur in Calendario hac die Festum duplex minus S. Martini, Episcopi et Confessoris : ratione Festi duplicis 1 classis Dedicacionis, omittitur omnino Festum S. Mar-



tini; et ubi S. Martinus Patronus est loci, quia tunc ejus Festum etiam est ibi duplex 1 classis, ad aliam diem transfertur. Officium vero Dominicæ, etsi ritus semiduplicis tantum sit, stat intransferibile hac ipsa die 11 Novembris, et non omittitur omnino, sed ejus fit Commemoratio eo modo qui in responso ad præcedentem Quæstionem indicatur.

Exceptiones tantum dantur, si tamen exceptiones casus istos dicere oporteat, quoad omissionem, pro Dominicis quæ vacantes nominantur, et de quibus dicitur Q. 122; quoad translationem, pro Dominicis quarum Officium aliquando anticipatur, et de quibus agitur Q. 124.

Q. 121. *Quænam est Dominica I Adventus, sive prima in anno ecclesiastico?*

R. Est illa quæ est proximior Festo S. Andreae, Apostoli, vel quæ venerit in ipso ejus Festo, quod celebratur 30 Novembris. Dominica ergo illa venit semper vel 27, 28, 29, 30 Novembris, vel 1, 2, 3 Decembris, secundum quod Littera Dominicalis currentis anni indicabit unam ex his diebus.

Q. 122. *Quædam Dominicæ occurrentes in cyclo Nativitatis dicuntur « vacantes »; quare ita vocantur, et quænam tales esse possunt?*

R. Vacantes dicuntur illæ Dominicæ, de quibus nihil, neque Officium neque Commemoratio, fit in ipsis Dominicis diebus, in quibus aliud Officium prævalet et dicitur. Hoc autem locum habet quando Festa et dies Octavæ Nativitatis Domini, S. Stephani, S. Joannis Apostoli, SS. Innocentium, Vigilia Epiphaniæ, Festum Epiphaniæ ejusque dies Octava in Dominicam incidunt. Tunc enim in Officio horum Festorum, eorumque diei Octavæ, et in dicta Vigilia nihil fit de Dominica in qua occurrunt, eaque Dominica eo anno Officio vacare, seu Dominica vacans dicitur.

Tres hujusmodi Dominicæ notantur in ordine Dominicarum ad Quæstionem 117 dato.

Advertendum tamen est quod, quamvis istæ Dominicæ ita vacent ut modo dictum est, fiat tamen Officium de Dominica infra Octavam Nativitatis, die 30 Decembris, in aliqua die infra hebdomadam; Officium vero de Dominica infra Octavam Epiphaniæ, die 12 Januarii,

Sabbato post Festum Epiphaniæ.—Si quando dies Dominica inter Octavam Nativitatis (1 Januarii) et Epiphaniam (6 Januarii) intercedat, hæc nequidem correspondens sibi Officium habet, et ideo dicitur vacans semper. Reliquæ autem duæ non semper vacant; etenim de Dominica infra Octavam Nativitatis fiet in die Dominica Officium die 30 Decembris, et Commemoratio die 29, vel 31 Decembris; de Dominica infra Octavam Epiphaniæ fiet in die Dominica Officium a 7 ad 12 Januarii; ideoque istæ dicuntur vacantes sæpe vel interdum, sed non semper.

Q. 123. *Quare, in eodem cyclo Nativitatis, Dominicæ III, IV, V et VI post Epiphaniam vocantur « vagæ »? Explica.*

R. Vagæ dicuntur istæ Dominicæ, quia non certum sicut reliquæ ordinem in anno ecclesiastico habent; nam subinde post Epiphaniam earum Officium dicitur, aliquando vero ad longum tempus, scilicet longe post Pentecosten earum Officium transfertur.

Etenim, cum ordo Dominicarum post Epiphaniam determinetur a termino fixo, videlicet a Festo Epiphaniæ (6 Januarii), tota vero series Dominicarum a Septuagesima, qua incipit cyclo Paschatis, usque ad ultimam Dominicam post Pentecosten, sequatur mobilitatem Festi Paschatis (Septuagesima enim venire potest a 18 Januarii ad 21 Februarii, secundum quod Pascha celebretur a 22 Martii ad 25 Aprilis); necesse est, si Pascha maturius occurrat in anno, totam illam seriem retrogradi versus Epiphaniam. Inde duo eveniunt: primum, quod plures sint Dominicæ post Epiphaniam quam ut poni possint, ob occurrentem Septuagesimam in unam ex illis; alterum, quod numerus viginti quatuor Dominicarum post Pentecosten non sufficiat ut compleatur annus ecclesiasticus; supererit enim spatium temporis inter Dominicam XXIV post Pentecosten et Dominicam I Adventus. Quo in casu, jubet Rubrica, ut quæ supersunt Dominicæ post Epiphaniam, quarum Officio locus non datur Epiphaniam inter et Septuagesimam maturius occurrentem, reponantur post Pentecosten, et locum occupent earum quæ ibi desiderantur.



Quo ordine reponendæ sint post Pentecosten istæ Dominicæ, indicat Rubrica Breviarii (Tit, IV, n. 4); illud notare sufficiat eas esse reponendas inter Officia Dominicæ XXIII et Dominicæ XXIV post Pentecosten, ita ut Officium Dominicæ XXIV post Pentecosten semper ponatur ad ultimam anni ecclesiastici diem Dominicam, quia quasi præparatio est ad proxime sequentem Dominicam I Adventus: proponit enim Ecclesia in prima Dominica anni ecclesiastici (I Adventus) commemorationem extremi iudicii in Evangelio hujus Dominicæ, eodemque modo terminat seriem Dominicarum ejusdem anni, facta in ultima Dominica ecclesiastici anni (XXIV post Pentecosten) ejusdem ultimi iudicii commemoratione in hujus Dominicæ Evangelio.

Q. 124. *Ex qua causa interdum contingit quod alicujus Dominicæ in anno supersit Officium, eo quod dies Dominica deficiat in qua ponatur? Quid tunc faciendum est?*

R. I. Annus constat hebdomadibus quinquaginta duabus cum die una (bissextilis annus cum diebus duabus); unde in anno occurrunt Dominicæ dies frequentius quidem 52, aliquando vero 53. Ideo in ordine Dominicarum, descripto Quæstione 117, recensentur Dominicæ 53, totidemque Dominicarum (excepta una quæ semper vacat) Officia in Breviario inserere oportuit.

Quando in anno numerabuntur Dominicæ dies tantum 52 (cum nempe littera Dominicalis alia erit quam G et A), in tali casu continget quod Dominica dies, in qua ponatur Officium alicujus ex Dominicis vagis post Epiphaniam, non reperitur, neque ante Septuagesimam neque post Pentecosten.

II. In hoc casu Officium Dominicæ hujus anticipatur, id est, ponitur in Sabbato ante Dominicam Septuagesimæ; si autem in hoc Sabbato jam agitur aliquod Officium novem Lectionum duplex aut semiduplex, intellige Festum, vel Officium assignatum aut translatum alicujus Sancti (modo non sit Festum ad libitum, de quo dictum fuit Quæstione 115, vel Officium votivum ex iis de quibus dicitur postea QQ. 149-154), Sabbatum non est dies libera; tunc quæritur num in hac hebdomada reperiat alia dies libera præcedens, in

qua non ponitur jam Officium novem Lectionum ut supra; quæ si adsit, in ea die quæ proximior Sabbato est, reponitur Dominicæ Officium; si non adsit, Dominicæ anticipatæ Officium non integre erit dicendum, et in Officio novem Lectionum Sabbati, etiamsi alicubi celebraretur hoc Sabbato Festum duplex 1 classis, legitur pro nona lectione Lectio de Homilia Dominicæ, et in Laudibus fit ejusdem Dominicæ Commemoratio, dicitur nempe Antiphona Cantici *Benedictus* et Oratio ipsius Dominicæ, Versus autem dicitur ex Psalterio in Sabbato.

Item contingere potest, sed raro (quando scilicet Pascha celebratur 24 vel 25 Aprilis), ut, posito ante Septuagesimam Officio sex Dominicarum post Epiphaniam, post Pentecosten supersint tantum dies Dominicæ viginti tres; tunc in Dominica XXIII legi debet Officium Dominicæ XXIV, et Officium Dominicæ XXIII anticipatur in præcedenti Sabbato, aut, eo impedito, in præcedenti hebdomadæ illius die, aut, impedita tota hebdomada, in Sabbato legitur nona Lectio de Homilia Dominicæ ejusque fit Commemoratio in Laudibus, ut supra.

Quomodo dicatur Officium Dominicæ anticipatæ, vide in responso ad Q. 126.

Q. 125. *Dominica prima mensium Augusti, Septembris, Octobris et Novembris, habet rationem potissimam in Breviario, quia in ea solet poni Initium Libri de Scriptura sacra, cum sua historia, id est, cum Responsoriis (cfr. dicta Q. 32, 7<sup>o</sup>); quæritur quæ Dominica censenda sit prima mensis?*

R. In prædictis mensibus illa Dominica censenda est prima horum mensium, quæ venit in Kalendis, vel quæ proximior est Kalendis talis mensis, sive ante, sive post. Ergo Dominica illa semper occurrere debet, vel in una ex quatuor primis diebus mensis a quo denominatur, vel in una ex tribus ultimis diebus mensis præcedentis. Exemplum: Dominica I Septembris erit dies Dominica quæ venit in 29, 30, 31 Augusti, vel 1, 2, 3, 4 Septembris.

Hujusmodi Dominicæ primæ mensis computus dicitur ecclesiasticus.